

1097

sanc*tum*, tanta religione præditum, quem infandæ gentes rapinis, cæde, stupris, ad eam diem non violassent: accedere ad ea, verbera, catenas, cruciatus eorum, qui Christiani essent nominis: quibus aut jam inde migrandum esset, aut miserabili modo pereundum.

Miraculum

Additur rei miraculum: intempesta nocte, quæ diem Dominicæ resurrectionis præcessit, visum sibi Petrum per quietem Christi voce moneri, ut in Italiam reversus Romano Pontifici, atque inde aliis tam Galliæ quam Germaniæ Principibus nunciaret, placere sibi, jubereque suorum armis id solum ab impiorum injuria vindicari, in quo pro publica salute & nasci & mori voluisse: ubi suscep*tæ* a se humanitatis vestigia & multa & magna essent: tugurium sui ortus conscientium: templum, ubi infans vagiisset, puer disputasset, adultus docuisset: Thabor, & Oliveti montes, hic orationis locus, ille figura*tionis*: cœnatio: Pilati atrium: Calvarius tumulus, ubi suæ crucis basis, nec inde procul sepulchrum ostenderetur. Petrus ubi in Italiam venit, pro magno habuit negocio, Urbanum Pontificem adire, ad quem sua funditus legatione, superatis alpibus ad cæteros Christiani nominis duces profectus est: nec interim, dum totam ferme lustrat Europam, populos publica prædicatione ad divinam expeditionem hortari destitut.

Urbanus Pon-
tificis ora-
tio, qua in
conventu
Claromon-
teni Cbrī-
stianos
Principes
ad hoc bel-
lum & ar-
ma pro Ter-
ra sancta
recipienda
bortatus
est.

Urbanus vero non multo post in Claromontensi conventu Arvernæ civitatis vehementi oratione causam egit, cuius summa hæc fuit: Non solum Romanæ Ecclesiae causa, cui opus reformatione esset, ex urbe se profectum præsenti Concilio interessere voluisse; sed alia quadam, ut magis pia, ita honestiore ratione adductum, pro comperto habere se, neminem illic esse, qui non ea quandoque rescivisset, quæ multis ante annis in Syria, vel in primis circa eam Terram, quam vulgo Sanctam vocarent, accidissent: Infandam gentem, quam vulgo Sarracenam dicerent, Christi summi Regis sepulchrum (quod a se memorari non posset sine lachrymis) occupasse: nullum templum, nullam aram, nullum denique sacrum locum fuisse, quem impius victor non aut solo æquas- set, aut in profanos usus vertisset. Cætum illum pietatis culto-